



Item sunt aliæ eiusdem generis historiæ, quarum noticiam architectos tenere oportet. Philosophia uero perficit architectū animo magno, & uti nō sit arrogans, sed potius facilis, æquus, & fidelis: sine auaritia, quæ est maximum. Nullum enim opus uere sine fide & castitate fieri potest. Ne sit cupidus, neq; in muneribus accipiendis habeat animum occupatum, sed cum grauitate suam tueatur dignitatem bonam famam habendo. Hæc enim philosophia prescribit. Præterea de rerum natura quæ græce φυσιολογια dicitur, philosophia explicat: quæ necesse est studiosius nouisse, quæ habet multas & uarias naturales questiones: ut etiam in aquarum ductionibus. In cursibus enim & circuitiōibus, & librata planicie, expressiōibus, spiritus naturales aliter atq; aliter sūt: quorum offensionibus mederi nemo poterit, nisi qui ex philosophia principia rerum naturæ nouerit. Item qui Thesbiæ aut Archimedis libros, & cæterorum qui eiusmodi generis præcepta conscripserunt leget, cum iis sentire non poterit, nisi his rebus a philosophis fuerit institutus. Musicen autem sciat oportet, uti canonicam rationem, & mathematicam, notam habeat: præterea balistarum, catapultarū, scorpionum tēperaturas possit recte facere. In capitulis enim dextra ac sinistra, sunt foramina hemi-

*Perficio architectonis  
Philosophia perficit architectore  
Magnanimus  
Facilis non arrogans  
Æquus  
Fidelis  
Donestus  
Non cupidum nec auarum*